

ecclesiasticis facultatibus aliquid decernere. Igitur modis omnibus synodali conventu provida omnium sententia^a enervari conplacuit et in irritum deduci, ne in exemplum remaneret presumendi^b quibuslibet laicis quamvis religiosis vel potentibus in cuiuslibet civitatis ditione^c quolibet modo aliquid decernere de ecclesiasticis facultatibus vel temere presumere nisi solis sacerdotibus, quibus disponendi cura a Deo commissa docetur.

In concilio Arvenensi capitulo quarto.¹ Qui reiculam ecclesiae petunt a regibus et horrende cupiditatis impulsu egentium substantiam rapiunt, irrita habeantur, quae^d obtinent, et a communione ecclesiae, cuius facultatem auferre cupiunt, excludantur.

De his quae a^e fidelibus ecclesiis^f vel basilicis offeruntur. Ex concilio Aurelii.² De his, quae ecclesiis^g in terris vineis mancipiis atque peculiis quicumque fideles obtulerint, antiquorum canonum instituta servantur, et omnia in episcopi potestate consistent.

Ut rebus ecclesie nihil auferatur. Ex concilio Toletano.^h³ Omnis itaque rei ecclesiastice quantitas, sicut remedium venie tribuit conferenti, ita dampnum riteⁱ parat fraudatori. Et ideo nullus ex rebus ecclesiae, quae^k in quibuscumque locis a fidelibus largiuntur, aliquid auferat.¹ Devotio enim uniuscuiusque, sicut gratanter votum contulit Deo, ita definivit, quod plenitudo votorum conservaretur in loco, et sicut conlata tenentur manente gratia offerentis, ita si frustrantur, inminet perniciēs defraudantis. Si quis vero deinceps haec monita temerare^m voluerit, et male rapta cum confusione restituet et excommunicationis annuae sententiam sustinebit.

In concilio Aureinensi.ⁿ cap. XII.⁴ Ne cui liceat res vel facultates ecclesiis aut monasteriis vel exenodochiis pro quacumque elemosina cum iustitia delegatas retentare alienare atque subtrahere.

^a) sentia *Hs.* ^b) praesumendis *Hs.* ^c) ditioni *Hs.* ^d) qui *Hs.*
^e) fehlt *Hs.* ^f) ecclesias *Hs.* ^g) ecclesias *Hs.* ^h) telei *Hs.* ⁱ) ritae *Hs.*
^k) nachgetragen *Hs.* ^l) auferre *Hs.* ^m) temerata *korr. in temerara Hs.*
ⁿ) *lies* Aurelianensi.

¹) *Concilium Arvernense a. 535 cap. 5, MG. Conc. 1, 67.* ²) *Concilium Aurelianense a. 511 cap. 15, MG. Conc. 1, 6.* ³) *Concilium Toletanum IX. a. 655 cap. 1, MANSI 11, 25 (MIGNE 84, 434); vgl. auch die Akten des Aachener Konzils von 836, MG. Conc. 2, 719 Z. 13f.* ⁴) *Concilium Aurelianense a. 549 cap. 13, MG. Conc. 1, 104.*